

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XXIX. ALPES POENINAE.

Vallem Poeninam in provinciarum ordinatione Augusti cum Raetia contributam esse ostendi vol. III p. 707 (cf. vol. V p. 757). Cui meae demonstrationi cum nuper contradixerit G. Zippel (*die römische Herrschaft in Illyricum*. 1877. p. 286), Alpes eas partem fuisse provinciae Germaniae superioris contendens, non abs re erit argumenta in alteram utram partem prolata denuo expendere.

Ex auctoribus qui unus considerandus est Ptolemaeus (reliqui enim quae huc faciant non afferunt) vallem Poeninam duplici nomine Raetiae adindicat. Primum cum in finibus determinandis proficiscatur a monte Adula, apud quem ait confinia esse Belgicae (2, 8, 6), Narbonensis (2, 8, 6. c. 10, 1), Raetiae (2, 12, 1), Italiae (3, 1, 1), aperte intellegit montes ad lacum Lemannum; nam eo solo loco Belgica (scilicet Helvetii a Ptolemaeo ad Belgicam relati) et Narbonensis et Italia conterminae sunt et contermina item vallis Poenina, quam sic cum Raetia contribui apparet. Adula monte igitur sequitur Alpes ad dextram Rhodani superioris ad Lemannum usque a Ptolemaeo comprehendendi, quod utrum recte fecerit an vocabuli usum iusto latius extenderit, ad nostra non pertinet. Zippelius certe cum miratur, qui factum sit, quod Ptolemaeus Poeninas Alpes ab oriente Adulae collocet, rem parum intellexit. — Multo magis autem erravit de oppidis apud Ptolemaeum ad Raetiam relatis. Scilicet geographus Raetiae oppida enumerans (2, 12) post sita prope lacum Brigantium Taxgaetium et Brigantium cum ita finiat: *μετὰ δὲ ταύτας Οὐικός Ἐβόδοῦρον Δρουσόμαγος Ἐκτόδοροι*, ut legitur in codicibus plerisque, at secundam optimum Vaticanum 191, cuius lectiones liberaliter, ut solet, mecum communicavit Car. Mueller, ita: *Οὐικός Ἐβόδοῦρον Ὀκτοδοῦρον Δρουσόμαγος*, quod olim contendí has esse vallis Poeninae civitates iam extra dubium est. Nam quod tertio loco nominatur

Octodurum vallis Poeninae oppidum esse notissimum lectio reformata stabilivit, nec quisquam opinor Zippellium audiet conicientem alterum nescio quod eiusdem nominis oppidum alicubi in Raetia esse potuisse. — Confirmatur ita, quod item olim conieci, pro *Οὔζος*¹⁾ reponendum esse *Οὐβισπιχος* notum ex itinerariis, hodie Vevey. — Ebodurum cum legatur interpositum inter Octodurum et Viviscum, quaerendum esse apparet ad caput lacus Lemanni. At pendet quaestio haec de loco Notitiae Dignitatum Occidentis c. 42, 15 adhuc parum recte tractato, ubi cum nominetur *praefectus classis barcariorum Ebruduni Sapaudiae*, is ubi sedem habuerit considerandum est. Enumerantur ibi praepositurae quinque constitutae Viennae, Arelate, Ebruduni Sapaudiae, Massiliae Graecorum, Sapaudiae Calaronae sub praescriptione, ut est in libris, *in provincia Gallia niparensi*. Quae verba cum aperte corrupta sint, *riparensis* pro *niparensi* qui restituerunt id coniectando creaverunt, quod si traditum esset, crux interpretum foret; nam cum distributio Galliarum notissima sit, riparensis Gallia nusquam redit. Contra tres urbes clarae Vienna Arelate Massilia cum omnes Viennensis provinciae sint sequanturque statim simili loco Novempopulana Lugdunensesque et prima et Senonia et locus omnino flagitet mentionem tam dioecesis (id quod perdidit Seeckius) quam provinciae, praescriptio quomodo emendanda sit, extra dubium positum est, scilicet scribendum *in Gallia: in provincia Viennensi*. Itaque etiam *Sapaudiae Calaro* sine dubio *Cularo* est sive Gratianopolis (Grenoble) urbs et ipsa Viennensis provinciae finibus comprehensa, nec quicquam obstat, quominus Sapaudiae vocabulum eatenus porrigamus. Postquam quattuor urbes demonstratum est ad Viennensem provinciam pertinere, idem de quinto quoque obtineat necesse est. Ebrudunum igitur iam intellegitur neque Eburodunum Caturigum (Embrun) esse neque Eburodunum Helvetiorum (Yverdun); illud enim in provincia Alpium maritimarum fuit, hoc in Maxima Sequanorum. Accedit quod Sapaudiae finibus neutrum recte comprehenditur²⁾. Alio quoque nomine Ebrudunum Notitiae oppidorum eorum neutri aptum est, sed magis quaerendum in ripa lacus Lemanni. Nimirum classis nullo modo referri potest ad Ebrudunenses Caturiges et parum apte ad Ebrudunenses Helvetios; lacus enim is cui hi adjacent classem armatam non requirebat. Immo eiusmodi classis ea aetate in his partibus cogitari nulla potest nisi in lacu Lemanno. Ebrudunum igitur cum fuerit et in

¹⁾ Quod in uno libro non optimo Vaticano 178 legitur *Οὔζος* auctoritate caret.

²⁾ Locos de Sapaudia composuerunt Boeckingius ad Not. Dign. Occid. p. 1015 eumque secutus Binding *Geschichte des burgundisch-romanischen Königreichs* p. 5, sed Notitiae loco parum intellecto decepti sunt. Qui primus Sapaudiae meminit Ammianus 15, 11: *Rhodanus ... paludi sese ingurgitat nomine Lemanno, unde per Sapaudiam (liber perpensa paudium) fertur et Sequanos longeque progressus Viennensem sinistro perstringit, dextro Lugdunensem*, si ita scripsit, male scripsit; crediderim paullo aliter atque fecit Valesius locum sanandum esse scribendo *praeter Sapaudiam* et hoc significari Rhodanum a Genava inde finem facere primum inter provinciam Maximam Sequanorum et Sapaudiam, deinde inter Lugdunensem et Viennensem provincias.

provincia Viennensi et in Sapaudia et ad lacum Lemannum, iam videndum est, quam partem ripae eius probabiliter attribuamus provinciae Viennensi. Ita, cum Noviodunum et Aventicum finibus Maximae Sequanorum comprehensa fuerint, exclusa ripa ad septentrionem ad alteram reicimur, ubi Genavam constat in Viennensi fuisse nec quicquam impedit, quominus universam ripam ad influentem Rhodanum usque cum eadem provincia contribuamus. Nam conterminae provinciae Alpium Graiarum et Poeninarum Notitia Galliarum non adiudicat nisi duo oppido Tarantasiam Ceutronum (*Moutiers en Tarantaise*) et Octodurum Vallensium (*Martigny*) et facile fieri potuit, maxime post Genavam ex vici condicione ad rei publicae statum translata, ut tota haec ripa ei attribueretur et propterea fines provinciae quoque auferentur imminuta contermina Alpium. Statio autem classis, cum praesertim regio media alpestris portibus destituta sit, commodior alia nulla reperitur quam ubi Rhodanus in lacum influit ad Villeneuve. — Iam ubi redimus ad Ptolemaeum, quod apud eum nominatur oppidum Ebodurum vidimus situm fuisse inter Viviscum et Octodurum, id quod ei loco, quem ex Notitia effecimus, plane convenit, nisi quod nomen recte opinor in Notitia traditum apud Graecum auctorem corruptelam subiit. — Drusomagus denique cum alibi non nominetur, vero ordine Ptolemaei patefacto quaeri poterit apud Sedunos vel, si magis placet, apud Uberos Lepontios: certe non invenietur qui dicto audiens sit Zippelio nescio quomodo neganti extra Raetiam suam a Druso oppidum nominari potuisse. Itaque quattuor civitates, quas extremo loco in Raetia Ptolemaeus recenset, cum praesertim is vallis Poeninae oppida aut hoc loco rettulerit necesse sit aut omiserit, nos iam tenebimus esse Viviscum, hodie Vevay; Ebodurum vel Ebrodunum prope Villeneuve ad Lemannum; Octodurum, hodie Martigny; Drusomagum ibi fortasse ubi nunc est Sitten.

Hactenus de Ptolemaeo. Iam videamus, num in titulis explicandis Zippelii meliore fortuna usus sit quam in interpretando geographo.

Titulus Interprominus vol. IX n. 3044 sive apud Henzenum n. 6939 aetatis Tiberianae inter honores, quos equestris ordinis vir Sex. Pedius Lusianus Hirrutus consecutus est, cum verba ponat *prim. pil. leg. XXI, pra[ef.] Raetis Vindolicis valli[s] Poeninae et levis armatur(ae)*, inde confirmari dixi tres illas regiones sub eodem praeside fuisse. Contra quae protulit Zippelius, hoc tantum probant eum nec titulum intellexisse nec constitutionem militarem eius aetatis satis didicisse. Nam quod statuit Hirrutum eodem tempore et primum pilum in legione XXI duxisse et praefuisse levi armatures eiusdem legionis itemque Raetis et Vindolicis in vallem Poeninam deductis, et cum legio ea eo tempore fortasse in Germania superiore constiterit, vallem Poeninam ita tecte cum haec provincia contribui, quot verba, totidem errores sunt. Scilicet nec legio huius aetatis levem armaturam sibi propriam habuit, nec qui primum pilum ducebat simul auxiliariis praeesse potuit, nec de mirifica illa deductione Raetorum Vindelicorumque in Poeninas Alpes quicquam traditum habemus. Denique primipilus legionis ad equestres militias quae sequuntur nequaquam pertinet, sed hoc ait titulus

Hirrutum cum in caliga ad primum pilum pervenisset, transitu facto ad militias ordinis maioris duas praefecturas suscepisse, alteram Raetorum et Vindolicorum et vallis Poeninae, alteram levis armaturae. Id enim linguae ratio flagitat hac aetate copulam non admittens solo ultimo ex pluribus loco, nec minus flagitat res; nam *praefectus levis armaturae* per se in eiusdem aetatis titulis aliquoties reperitur¹⁾. Iungi autem duo officia diversa interposita copula non admodum rarum est, quamquam plerumque vocabulum commune repetitur; in hoc titulo cum praefectus in priore parte tertium casum adsumat, in posteriore secundum, id est illic participii loco sit, hic substantivi, eo magis certum est non de eodem officio haec omnia accipi posse. — Praefectus *Raetis, Vindolicis, vallis Poeninae (incolis)* elliptice dicitur, quoniam Poeninae vallis incolae non appellantur Poenini suoque vocabulo carent²⁾. Iam vero cum provinciae procuratoriae quae dicuntur eodem iure praefectoriae dici possint et Inalpinis praesertim qui praesunt saepenumero praefecti appellantur, quod ex hoc titulo effeci vallem Poeninam cum Raetia et Vindelicia imperante Tiberio sub eodem praeside fuisse, manet inconcussum.

Altero loco quem citavi, titulus Veronensis vol. V n. 3936 Q. Caecilii Cisiaci Septicii Picae Caeciliani *procur(atoris) Augustor(um) et pro leg(ato) provinciae Raetiae et Vindeliciae et vallis Poenin(ae)* tam aperte loquitur, ut quod ei opponeret hoc solum Zippelius invenit uni testi male credi vallemque Poeninam eo tempore cum Raetia Vindeliciaque extra ordinem coniunctam esse potuisse. Nam quod addit: *ausserdem kommt der Titel procurator pro legato für die Statthalter procuratorischer Provinzen meines Wissens nie vor*, si memor fuisset adolescens eruditus titulorum duorum notissimorum Orellianorum n. 3570 *proc(uratoris) pro leg(ato) provinc(iae) Mauretaniae Tingitanae* et n. 732 *praefecti pro legato ins(ularum) Balarium*, certe non scripsisset et multo minus demonstratum ivisset pro legato officium ei soli provinciae convenire, quae legitimo statu sub legato esset. Immo quod de Tiberii aetate titulus Interprominus docuit, id Veronensis, qui propter men-

1) Venafri vol. X. n. 4868 = Orell. 3426: *Sex. Aulieno Sex. f. Ani. primopil. II, tr. mil., praef. levis armat., praef. castr. imp. Caesar. Aug. et Ti. Caesaris Augusti, praef. classis, praef. fabr., II vir Venafri* cet. Gaetae vol. X n. 6098 = Henzen 6735: *rius C. f. Aem. Gallu[s] praef. levis armaturae p[rovinciae?] Hispaniensis*. Intelleguntur opinor milites extra ordinem in provincia conscripti, quales aliquoties memorantur apud Tacitum (hist. I, 68: *Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum iuventus*. 2, 58: *decem novem cohortes, quinque alae, ingens Maurorum numerus*. 3, 5: *cum ala Auriana et octo cohortibus ac Noricorum iuventute*). Post primum saeculum eiusmodi officium non memini memorari; quod si abolitum est, fortasse auxiliorum eius generis condicio mutata est aucta adversus subditos imperatorum diffidentia.

2) Hoc ut apertum est, ita quod posuit Zippelius: *die Dative können nur als abhängig von dem folgenden Genetiv verstanden werden, das heisst Pedius war Präfect über die Raeter und Vindeliker in dem poeninischen Thale*, ipsius verbis adscripsi, nam intellego quidem iungi ab eum praefectum vallis Poeninae, sed quid ita de dativis fiat pendentibus si deo Priscianoque placet a genetivo, equidem ignoro.

tionem duorum Augustorum non ante divos fratres scriptus esse potest, de horum aetate confirmat. Demonstrant igitur tituli id ipsum, quod ex Ptolemaeo collegimus, ab Augusto inde certe ad vergens saeculum secundum vallem Poeninam procuratori Raetiae paruisse.

Hoc non negamus testium contemptum, cuius Zippelium reum facimus, aliquatenus eo excusari, quod testimonia rem demonstrant per se parum probabilem; scilicet administrationem civilem militaremque eandem pervenisse a Vevey et Villeneuve ad Augsburg et Regensburg oppida. Nihilominus quod Zippelius Augusto suppeditavit imperii distribuendi consilium, ut vallem Poeninam cum Germania superiore contribueret, imperatori ni fallor parum probavisset. Scilicet imperii ordinatio Augusti eo vel maxime nititur, quod ab Italia arma removit, non ignarus nimirum viae ad imperium paternae; itaque ita rem administravit, ut Italiae provincia nulla contermina esset, a cuius praeside sibi timeret, regiones autem Inalpinas cum armis plane vacare non possent, ne senatorii quidem ordinis praesidem ullum iis praefecit. Hanc esse originem provinciarum exiguarum, quae a septentrione Italiam circumdant, constitutarum sub procuratoribus praefectivae, quamquam nec Maecenas nobis neque Agrippa narravit, nihilominus certum est, neque egregium documentum artis imperatoriae nescio quibus auctorum locis titulisque parum recte intellectis eripi nobis patiemur.

Sed fortasse coniunctionis vallis Poeninae cum Raetia praeterea altera causa accedit. Neque enim Caesar pater solus fuit, qui civitates vallis eius vinceret, sed filius quoque Augustus in tropaeis suis (Plinius h. n. 3, 20, 136 = vol. V n. 7817) inter populos Alpinos a se devictos Uberos, Nantuates, Sedunos, Varagros adnumerat. Id quando fecerit cum rerum auctores non tradiderint, admodum probabile est Raeticum bellum a. 739 etiam ad vallem Poeninam pertinuisse. Id si ita fuit, consentaneum est legem provinciae constituendae quodammodo a victoria illa dictatam esse. Quid quod Drusomagi oppidi vocabulum non sine specie veri ad id ipsum bellum revocabitur.

XXX. COGNOMINA AFRICANA.

Nobis, quibus non in votis quidem, sed in fatis fuit, ut aetatem exigemus in parando magis quam utendo apparatu epigraphico, cum nuper in indicis cognominum Africanorum conficiendi munus impositum esset, admirationem movit eorum quae in *-osus* vel *-osa* finiuntur condicio et proprietas. Missa facimus praeter ea quae corruptelae suspecta sunt et adiectiva in nominum locum adsumpta, ut sunt¹⁾ † *Exitiosus* — *Fructuosus* (2), *Fructuosa* (2), *Fructosa*, *Frutosa* — *Generosus*, *Generosa* (2) — † *Gratiosus* — *Gulosus* (3) — *Imperiosus* — *Ingeniosus*, *Ingeniosa* — *Luctuosa* — *Musculosus* — *Pom-*

¹⁾ Numeros titularum non adscripsimus petendos ex ipso illo indice; adscripsimus si qua vocabula saepius redeunt. Crux ante nomen Christianum distinguit.

posa — *Pretiosa* — *Rugosus* — *Vinosa* — *Vitiosa*, quibus addi potest *Gaudiosa* Christianorum, ea quoque, de quorum origine parum liquet vel certe veriloquium ulteriore examine indiget, ut sunt *Cebosus* — *Cucosa* — *Didosa* — *Faosa* (2), *Fausa* — *Fedusus* — *Libosus*¹⁾ (4), *Libosa* (4) — *Lillosa* — *Murosa* — *Mussiosa* — *Mussosa* — *Nicrosa* (2) — *Pocosa* — *Potosa* (3) — *Veteriosa*. Demptis his quae restant haec sunt:

	<i>Aeliosa</i>
Bonosus (2) —	Bonosa (6)
	<i>Carosa</i>
Datosus	
	<i>Feliciosa</i>
	<i>Flaviosa</i>
Gallosus, Galosus	
	<i>Iuliosa</i> (17)
	<i>Luciosa</i> (15)
	<i>Maniosa</i>
	<i>Marciosa</i> (4)
	<i>Maurosa</i>
	<i>Maximosa</i>
Monnosus (3) —	Monnosa (2)
Mustiosus —	Mustiosa (<i>Mustius</i> , <i>Mustia passim</i>)
	<i>Nampulosa</i> (<i>Nampulus</i> , <i>Nampula passim</i>)
	<i>Nonnosa</i>
Primosus (5) —	Primosa (12)
	<i>Proculosa</i>
Quetosus —	Quetosa
Quintosus (3) —	Q(u)intosa 2
	<i>Valeriosa</i>
	<i>Veneriosa</i>
	<i>Urbanosa</i> .

De Africanis eiusmodi cognominibus ut recte iudicari posset, in indicibus voluminum syllogae nostrae II (Hispaniarum) III (Orientis et Illyrici) V (Italiae superioris) quae reperiuntur eiusdem terminationis similiter componi iussi. Inventorum ibi (missis Graecis, ut sunt *Drosus*, *Tryphosa*) ad primum ordinem pertinent *Fructuosus*, *Fructuosa* — *Generosus* — *Gaudiosa* — *Ponderosus* — *Pretiosa*, ad secundum *Caritosus*, *Caretosa*²⁾ — *Colosus* (V, 7194) — *Variosus* (V, 8744), ad tertium, id est eum, de quo agimus, sola duo haec:

<i>Bonosus</i> III, 919. 6150, 32.	<i>Bonosa</i> III, 805. 1474. 2264.
† V, 1639.	2274. 2283. 3539.
<i>Carosus</i> III, 2027.	

¹⁾ Adde indices n. 401.

²⁾ Illud legitur in christiana V, 1680, hoc in pagana lectionis parum certae II, 3307. Fortasse est vocabulum hybridum; cf. *Ναριτωσα* tituli item Christiani C. I. Gr. n. 5850.

Italia reliqua et imprimis ubi Roma eiusmodi cognomina maiore numero suppeditabit, at non ob aliam causam ni fallor quam quod labente aetate Afri homines permulti in Italiam commigraverunt. Sed de his viderint quibus datum erit uti syllogae nostrae indicibus futuris; nos satis habebimus unum nomen afferre repertum in lamina Arretina (edidi eam in Hermae vol. 4 p. 282) *Sallustias [Ven]eries sive Ven[e]rioses*, quoniam inde intellegitur hoc nominum genus apud Italos peregrini quiddam habuisse et fortasse pro signis ea magis ibi fuisse quam pro legitimis cognominibus.

In Africa igitur non solum a cognominibus usitatis, ut sunt Felix, Maximus, Primus, Proculus, Urbanus, sed item a praenominibus, ut sunt Lucius et Quintus, gentilicisque, ut sunt Iulius, Marcius, Valerius, formantur nomina in *-osus* et *-osa*, cui terminationi non eam vim tribuendam esse, quam meliore aetate in adiectivis obtinet, sed hypocoristicis potius eam adnumerandam inde colligitur, quod mulierum ita denominatarum numerus quater tantus est quam virorum. Ea autem terminatio ut extra Africam rara est, ita ne ad hanc quidem universam pervenit; nam in partibus ad orientem perraro invenitur (scilicet in Africa proconsulari cum Tripolitana et Byzacena quinquies solum n. 165. 581. 917. 1534. 10572), frequenter adest in Numidia et etiam magis in Mauretania Caesariensi. Temporis notam cum ex titulis supra relatis tenuiorum fere et plebeiorum hominum perpauci habeant, antiquissimi quos offendi sunt Anzienses duo n. 9014. 9065 annorum 224 et 225, recentissimus Pomariensis n. 9926 anni 545, crediderimque intra hos fere terminos reliquos quoque comprehendi, certe nullum inveni, quem probabile sit ante tertium saeculum exaratum esse.

Cognomina mulierum in *-itta* exentia collegerunt olim Otto Iahn in Hermae vol. 3 (1869) p. 170, nuper Iosephus Klein in mus. Rhenani vol. 31 (1876) p. 297. Sed ut ille non omnino sibi cavit ab alienis, ita hic iis quae composuit quaestionem non tam elucidavit quam obscuravit. Nam cum agatur de linguae Latinae nominum formandarum consuetudine, primum procul habenda sunt tam Graeca, ut *Carite* III, 2163 pro *Charite* est¹⁾, *Carito* vol. VIII n. 3200 pro *Charito*, quam barbara, ut *Urchail Atitta* f. tituli Hispanici vol. II n. 1087, *Loucita Messori* Norici vol. III n. 5289, *Pussitta* civis Raeta vol. VII n. 972, *Lobitto* tituli Aquitanici Grut. 764, 1²⁾. Removendum item *Frunita* utpote fruendi verbi participium miro errore a Kleinio ita emendatum, ut fieret *Frunitta*. Removenda pariter *Bonita* et *Monnita* utpote vere in *-ita* exentia, non in *-itta*³⁾. Removenda gentilicia, ut *Suavittius* et

¹⁾ Cf. *Charitae* tertio casu vol. V n. 3831.

²⁾ His, quae attulit Kleinus, similia vocabula tam virorum quam mulierum finientia in *-itto* vel *-ito* plura innotuerunt, ut virorum *Atito*, *Atitto* — *Bito*, *Bitto* — *Brito*, *Britto* — *Citto* — *Clito* — *Itto* — *Mosgaito* — *Stritto*, mulierum *Dito* — *Mellito* — *Titto* in indicibus nostris reperientur. Eadem alibi redeunt formata in *-ittus* et *-itus*, ut inter alia leguntur *Bitus* et *Bito*, *Brittus* et *Britto*, *Cittus* et *Citto*, *Ditus* et *Dito*, *Mosquitus* et *Mosgaito*. Ab hac tamen disquisitione aliena sunt utpote non Latina.

³⁾ *Nonnita* est et in titulis a Kleinio citatis omnibus et vol. V n. 1691. 6252; *Bonita* in titulis Kleinianis duobus, cum in tertio (VIII, 2906) sit *Bonitta*. Fortasse

quod ex cognomine quod est *Livittiana* effici videtur *Livittius*; neque enim inde recte colligitur etiam *Suavittam* et *Livittam* cognomina in usu fuisse. Denique eliminanda sunt corrupta vel corruptelae suspecta, ut in titulo urbano *Marinii* Arv. p. 233 non *Favita* est, sed teste *Detlefseno* *Fausta*; ut *Casinitto*, quod ponit *Kleinus* citans ex *Templo Casinitio Honorati*, vere est *Cassia Honorati filia* vol. VIII n. 1559; ut *Senecita* tituli *Britannici* parum bene traditi vol. VII n. 932. Nam in quaestionibus eius generis grammaticis et orthographicis multo minus peccant, qui titulos omnes procul habent quam qui temere iis utuntur nullo delectu nulloque iudicio adhibito. Immo in hac quaestione ea fere sola cognomina in censum veniunt, quae et pluribus testimoniis fulciuntur, cum unicus titulus plebeii ordinis ob id ipsum auctoritate semper careat, et etymon habent evidenter definitum.

Purgata area quae restant vocabula sunt quattuor tantum numero haec: *Gallitta*, *Iulitta*, *Pollitta* sive *Politta*, *Livilitta*, quorum tria prima multis et certis testimonii nituntur, in his optima aetatis quibusdam, quartum unico titulo Africano vol. VIII n. 6777, ubi pro *Vilitta* *Renierii* [*Livilitta* *Wilmannsius* de lapide excepit. Iam in his cur lingua ad ὑποκοριστικὸν minus sollemne confugerit, in aperto est; nam a *Galla*, *Iulia*, *Polla* sive *Pola*, *Livilla* sollemni declinatione quae efficerentur *Gallilla*, *Iulilla*, *Pollilla*, *Livililla* propter liquidae repetitionem aures offendissent.

Epicoeni generis adiectiva ubi in cognomina abeunt, plerumque viris reservari novit quicumque nominum rationem apud Romanos perpendit. Hoc fortasse observatione non indignum est in titulis Africanis cognomina quaedam muliebria reperiri ex epicoenis formata legitima declinatione ita immutata, ut genus certo indicio significaretur. Sic inveniuntur *Maiorica* — *Minorica* — *Natalica* — *Vitalica* — *Spenica*. Sunt tamen item cognomina similiter formata necessitate nulla cogente, ut *Matronica* — *Nomica* — *Primulica* — *Victoricus*. Ad eiusmodi usum insularum Balarum nomina quae nunc sunt redeunt.

Ut generis differentiam certam cognomina sectantur, ita hoc quoque usum curare, ne cognomina et ethnica confundantur ea certe quae ab uribus derivantur, alio loco (*röm. Forsch.* 2, 290) de hominum patriciorum vocabulis exposui. Similis lex in Africanis quoque obtinet. Nam *Africanus*, *Maurus*, *Nunidicus*, *Gaetulus*, *Noricus*, *Lacaena*, *Aurasius* similiaque passim adsunt; contra in universo volumine Africanarum, nisi quid me fugit, haec tantum reperiuntur cognomina oppidana: *Aquileiensis* (1), *Lambesi-*

haec vocabula aetatis Christianae fere similiter interpretandae sunt atque quae in *-osa* exeunt supra explicata; neque enim videntur separari posse a *bona* et *nonna* vocabulis, nec magis, ut monuit doctus amicus *Adolfus Tobler*, ab hypocoristicis linguarum recentiorum qualia sunt *Teresita* et *Giulietta*. Reliqua in *-ita* finientia, quatenus certae interpretationis sunt (id quod non cadit in *Caesita* vocabulum titularum *Zaraitanorum* vol. VIII n. 4544. 4545) alio pertinent, ut sunt praeter *Frunitam* *Avita* — *Crinita* — *Capita* — *Finita* — *Mellita* — *Popita*. Nomina similia masculina porrata, ut *Macita* V, 1179 — *Reita* V, 2743 — *Popita* V, 7456 sine dubio barbara sunt, componenda cum *Fravitta*, *Neritta*, *Tzitta* (V, 7793).

tanus (1), *Larensis* (1), *Putiolanus* vel *-na* (4), *Sitifensis* (1), *Thevestinus* vel *-na* (5), *Tiburtina* (1), id est quattuordecim numero in corpore milium undecim fere titularum. Etiam certius fugam, ut ita dicam, veri ethnici inde deprehendimus, quod passim pro cognominibus adhibentur formae illud evitantes, ut sunt *Iolitanus*, *Iolitana* et *Carchedonius*, item *Cirtesia* (4), *Lambesius* (3), *Madaurius*, *Thagasius*. Causa sine dubio est quod, cum hominis nomini domus adiei soleret, cavendum erat, ne cognomen et domus confunderentur.

XXXI. VEXILLATIO LEGIONIS XI CLAVDIAE.

Inter Almam in ripa Danuvii castellum Moesiae superioris extremum ad orientem (hodie Lom Palanka) et Serdicam (hodie Sofia) vicus est Kutlowitz. Ibi nuper prodiit titulus is qui sequitur, quem cum rustici in opus conicere vellent, forte per eas partes transiens princeps Bulgariae nuper constitutus servavit et in museo quod condit in regni urbe primaria Sofia collocavit. Altus est cent. 78, latus c. 50, crassus c. 25; supra cum ipse integer esse videatur, deficit principium in epistylis opinor perscriptum; extrema abrupta sunt. Descriptum cum Kieperto nostro communicavit Constantinus Jirečik Sofiensis curator antiquitatum novi regni, cuius industria et eruditione fore speramus, ut harum regionum adhuc fere clausarum antiqua monumenta in communem utilitatem proferantur. Apographum hoc est:

(textum vide p. 525.)

Id est:

[permissu? T. Flavi] Longini leg(ati) Aug(usti) pr(o) pr(aetore)
vexillat(io) leg(ionis) XI Cl(audiae)

sub cura Fl(avi) Maximi (centurionis) leg(ionis) eiusdem

Severo et Sabiniano cos.

p. Chr. 155

b(eneficiarius) co(n)s(ularis):

1 Ulpius Alexander

principales:

tes(erarius):

2 Iul(ius) Aeternalis

[t]ub(icen):

3 Aurelius Postumus

cornice[n]:

4 Valerius Rufus

med(icus):

5 Aurel(ius) Artemo

- LONGINI LEG S AVG φ PR PR
 VEXILLAT φ LEG φ XI φ CL φ
 SVB CVRA φ FL φ MAXIMI ∩ LEG
 EIVSDEM φ SEVERO ET SABINIANO
- 5 B COS VLPIVS COS ALEXANDER
 PRINCIPALES · TES · IVL · AETERNALIS
 · IVB · AVRELIVS POSTVMVS CORNICEM
 VALERIVS RVFVS · MED · AVREL · ARTEMO
 · IMVNES · VEN · IVLIVS · LONGINVS · ET · FL ·
- 10 VALERIVS · CHOR · I · CALPVN · TERTIANVS
 VAL · FELIX · ELA · VALENS · AVREL · PEDO · FII · ERACL
 AVREL · TIBERINVS · IVL · MARCVS · AVRELIVS
 CERONIVS · CHO · II · AVRELIVS APPIANVS · FLA
 REGINVS AVREL · CAIREAS · VAL · FRONTO · IVLIVS
- 15 CLAVDIANVS · CHOR · III · IVLIV HORTESIS AELIVS
 MARTIALES · VAL · VALENS · ANTONS · VALENS
 PONTI : PONTIANVS · VAL · ANTONIVS · VAL · RVFVS
 CLAV · IANVARIVS CHOR · III AEL · PAVLVS · AVREL
 GERMANVS · AVR · SANCTVS · VAL · MAXIMVS
- 20 ANTO · VALENS · IVL · VALENS · VAL · LONGVS · VLP
 BASSVS · FL · PRIMVS · CHOR · V · AEL · APOLLODORV[S]
 AELI SABINVS · IVL · FLACCVS · AVR · HELENVS
 AVR · ARTEMO · COCCEIVS · LONG · ATIL · CRISPVS
 AVR · QVADRATVS · AEL · APELLES · FL · ALEXANDER IVL
- 25 NIGRINVS · AEL · ANTVL · II · NVS · AEL · VICTORINVS (RVIV / ^{sic}
 MAXI · MVS · VAL · FIRMS · AEL · FLAVINVS · PETRO VALENS
 III/NGINVS · VAL · VALENS · IVL · ALEXANDER AVR N/ATEIO
 IFS · IV/////VMI QVADRATVS MVM CELER TRI VALE
 FL TERTIVS · AVR ... IVLINVS · CL · PONTIANVS AVR · NIGER
- 30 / AL / NENS FL · ION(GI)NVS · IVCV ///////////////
 IVL · VINDEK AVR · D AVS ... NIN IVCVN ////
 DECVRIO POMPONI ////// ERCVLIANVS PX
 EQVES · XI · CL · /

- imnes ven(atores):
 6 Iulius Longinus
 7 et Fl(avius) Valerius
- chor(tis) I:
 8 Calpu[r]n(ius) Tertianus
 9 Val(erius) Felix
 10 [F]la(vius) Valens
 11 Aurel(ius) Pedito
 12 Fl(avius) Hieracl(a)
 13 Aurel(ius) Tiberinus
 14 Iul(ius) Marcus
 15 Aurelius Ceronius (?)
- chor(tis) II:
 16 Aurelius Appianus
 17 Fla(vius) Reginus
 18 Aurelius Caireas (?)
 19 Val(erius) Fronto
 20 Iulius Claudianus
- chor(tis) III:
 21 Iuliu[s] Horten(s)is
 22 Aelius Martial[i]s
 23 Val(erius) Valens
 24 Anton[iu]s Valens
 25 Ponti(us) Pontianus
 26 Val(erius) Antonius
 27 Val(erius) Rufus
 28 Clau(dius) Ianuarius
- chor(tis) IIII:
 29 Ael(ius) Paulus
 30 Aurel(ius) Germanus
 31 Aur(elius) Sanctus
 32 Val(erius) Maximus
 33 Anto(nius) Valens
 34 Iul(ius) Valens
 35 Valer(ius) Longus
 36 Ulp(ius) Bassus
 37 Fl(avius) Primus
- chor(tis) V:
 38 Ael(ius) Apollodorn[s]
 39 Aeli(us) Sabinus
 40 Iul(ius) Flaccus
 41 Aur(elius) Helenus
 42 Aur(elius) Artemo
 43 Cocceius Long(us?)
 44 Atil(ius) Crispus

- 45 Aur(elius) Quadratus
 46 Ael(ius) Apelles
 47 Fl(avius) Alexander
 48 Iul(ius) Nigrinus
 49 Ael(ius) Autul[l]inus
 50 Ael(ius) Victorinus
 51 [Ce]rviu[s] Maximus
 52 Val(erius) Firmus
 53 Ael(ius) Flavinus
 54 Petro(nius) Valens
 55 [Lo]nginus
 56 Val(erius) Valens
 57 Iul(ius) Alexander
 58 Aur(elius) Mateio (?)
 59 ifs Iu
 60 . . . umi(us) Quadratus
 61 Mum(mius) Celer
 62 Tri Vale
 63 Fl(avius) Tertius
 64 Aur(elius) .. iulinius
 65 Cl(audius) Pontianus
 66 Aur(elius) Niger
 67 [V]al(erius) .. nens
 68 Fl(avius) Lon[gi]nus
 69 Iucu
 70
 71 Iul(ius) Vindex
 72 Aur(elius) D
 73 Au[r(elius)] . . . nin(us)
 74 Iucun

decurio:

- 75 Pomponi(us) Erculianus PX (?)

eques XI Cl(audiae):

- 76

In ingenti lapidum militarium turba cum hic primus sit, qui vexillationis legionariae milites cum officiis eorum recenseat indidemque quaedam addiscantur scitu omnino digna de principalium condicione, quam in hoc ipso fasciculo diligentissime pertractavit Eduardus Caucr, titulum ad me adlatum eo ipso tempore, quo fasciculum editurus eram, ei pro corona addere placuit et simul de argumento quaedam adnotare.

Loci unde prodiit nomen antiquum ignoratur; castellum ibi fuisse cum praesidio perpetuo probabile est. Vexillationes sane pleraeque, quarum in titulis mentio superest, ad tempus dimissae esse inveniuntur aut expeditionis causa aut ob alia quaecumque, ut habemus missas ad saxa caedenda in Ger-

mania, ad fenum secandum in Africa¹). Sed stationes (cas nimirum quibus Hadrianus imperator in contione ait legionarios Africanos distineri multis et diversis) occupantia praesidia legionaria, ea scilicet, a quibus burga aedificantur et custodiuntur, item eodem nomine utuntur (vol. VIII n. 1. 3. 2482. 8796). Ea enim ut re stabilia erant, ita ad ordinationem militarem non pertinebant, nec qui eis praecerant certum in honorum gradu locum obtinebant nec milites praesidarii propter ea numerum mutabant. Praesidium hoc octoginta fere militum (nam quamquam lapis infra abruptus est, non multa interierint necesse est, cum pedites legionis adsint omnes) consistebat in confinio Moesiarum duarum, pertinens, ut ostendit tam legatus quam legio, ad exercitum provinciae inferioris. Quam ob causam titulus dedicatus sit, non intellegitur deficiente principio; fortasse numinis cuiusdam sacrarium vel imperatoris Pii statuam aliquando ornat.

Legionem XI Claudiam imperante Traiano noramus Germaniae superiori praesedis²), imperante Marco Moesiae inferiori³). Quo tempore castra mutasset cum adhuc ignoraretur, alii de bello Marcomanico Marci cogitaverunt⁴), alii de Dacicis Traiani⁵). Illam coniecturam iam redarguit titulus quem edimus legionem a. 155 imperante Pio in Moesia collocans; haec probabilis est.

Castra legionis XI saeculo tertio exente et deinceps fuisse Durostori constat⁶). Sed secundo cum in iisdem castris legionem I Italicam constituisse auctor sit Ptolemaeus, sub Pio alibi in Moesia tetenderit necesse est. Iam cum in ea provincia terna castra legionaria fuerint Novensia Durostoria Troesmensia, hic titulus in extremo castello ad occidentem inventus

¹) Brambach n. 672. Vol. VIII n. 4322. Cf. Marquardt *Staatsverw.* 2, 449.

²) Brambach n. 1666.

³) Laterculus legionum urbanus vol. VI n. 3492 scriptus inter Hadrianum et Marcum (nam legiones tres a Severo additae, fortasse etiam duae additae a Marco extra ordinem in line adiectae sunt) legiones enumerans secundum ordinem provinciarum, in provinciis autem secundum numeros, uno tenore recenset I Italicam, V Macedonicam, XI Claudiam Moesiae inferioris omnes. Nam quod nuper proposuit Pfizner (*Gesch. der röm. Kaiserlegionen* 1881 p. 80. 163. 253) legiones duas has una cum ea quae sequitur XIII gemina secundo saeculo in Dacia castra habuisse, quamquam ob alias quoque causas reiiciendum est (Daciae enim legato ante Marcum praetorio tres legiones parere non poterunt, neque inter tot titulos Dacicis ullus est, qui legionem XI Claudiam ibi castra habuisse monstret), iam ita redarguitur hoc ipso de quo agimus titulo, ut refutationis is nobis otia fecerit. Concidunt simul quae idem auctor de legione V Macedonica contra me scripsit contententem eam ad Severum usque in Moesia inferiore tetendisse. Nam postquam extra dubium est tam legionem quae in laterculo praecedat quam subsequenter secundo saeculo in ea provincia castra habuisse, item decisum est de interposita quinta. Itaque de titulis Troesmensibus III, 6162. 6166 idem auctor quam graviter erraverit, demonstrare supervacaneum est.

⁴) Brambach C. I. Rhen. p. XII.

⁵) Pfizner l. c. Eiusdem errorem legionem ad ipsam Daciam trahentis modo notavimus.

⁶) Testes sunt itinerarium Antoninianum et Notitia dignitatum. Cf. vol. III p. 997.

eo ducit, ut legio ad quam pertinet eo tempore proxima castra obtinuerit, quae sunt Novensia. Probabile igitur est imperante Pio legionem XI Claudiam constituisse Novis, I Italicam Durostori, deinde castra ita commutata esse, ut tertio saeculo undecimani Durostori essent, primani Novis.

Legati, sub quo a. 155 provincia fuit, titulus Tomitanus vol. III n. 767 plena nomina subministrat dedicatus *T. Flavio Longino Q. Marcio Turboni*. Quo tempore is Moesiam rexisset, adhuc ignorabamus; vixisse eum sub Pio cum iam appareat, probabile est filium cum esse aut adoptivum aut naturalem Q. Marcii Turbonis praefecti praetorio imperante Hadriano¹⁾.

Centurio legionis aliquis cum curam agat vexillationis huius, si quidem recte titulum rettulimus ad stationem perpetuam militarem provinciae Moesiae, probabiliter inde colligemus praesidia ea ita ordinata fuisse, ut singula centurio regeret, habentque tituli indicia quaedam quae eiusmodi ordinationem confirmant, ut Cidamensi praesidio in penetralibus Africae centurio legionis Africanae videtur praefuisse²⁾. At utrum ita praefuerit, ut cum iis eodem loco consisteret, an pluribus stationibus simul praepositus curam earum ita gesserit, ut praeses curam gerebat provinciae, iure dubitari potest, cum praesertim laterculus is quem edimus magis ad hanc ordinationem ducat. Sed universa quaestio, centuriones tam legionis quam cohortium itemque decuriones alarum quomodo extra praetorium agentes sub nominibus diversis, sed eodem redeuntibus omnibus significantibusque omnibus officium extraordinarium³⁾ curam egerint vexillationum numerorumque certis locis constitutorum, cum per hanc occasionem expediri non possit, omnino digna est, quae testimoniis quae supersunt non paucis collectis et coniunctis diligenter pertractetur.

Beneficiarios praesidis provinciae⁴⁾ quod supra (p. 400) docuimus referri potissimum ad stationes militares, laterculo hoc egregie confirmatur; neque enim obscure indicat praesidarios numero fere octoginta paruisse beneficiario consularis. Plane eadem ratione *beneficiarius consularis legionis III Augustae cum suis* titulum dedicat *exacta statione Vazanitana* in Numidia (l. c. n. 424 similiterque n. 426. 427). Unde iam clara luce illustrantur arae quibusdam locis, ut Novis in Dalmatia (vol. III n. 1906 cct.), Sis-

¹⁾ Videatur de eo Hirschfeld *Verwaltungsgeschichte* I p. 225.

²⁾ Vol. VIII n. 1. Conferri potest item titulus Rhenanus (Brambach n. 672): *Herculi saxano vexillatio leg. XXII pr., qui sunt sub cura [Fl.] Aprilii [s] (centurionis) m (?)*. Similes tituli complures ad Rhenum eruderati sunt dedicati a centurionibus legionis cum vexillariis sive commilitonibus suis.

³⁾ Plerumque appellantur *praepositi* vel *curatores*. Similis est *magister cohortis miliariae Hemesenorum* huius eph. vol. II n. 598. — Curatores nec turmarum nec veteranorum (composuit utrosque Caer supra p. 435. 436) huc pertinent.

⁴⁾ Eo pertinent qui supra p. 379 seq. referuntur beneficiarii consularis omnes opinor; nam legatum legioni, non provinciae imperantem ne tum quidem, cum per exceptionem post consulatum eo honore fungeretur, consularis vocabulo usum esse crediderim. Ubi autem muneri subiungitur legio, puta scribitur *beneficiarius consularis legionis I Italicae*, sine dubio uterque genitivus a nominativo pendet, non posterior a priore.

ciae in Pannonia superiore (vol. III n. 3942 seq.), Celeiae in Norico (vol. III n. 5154 seq.), a beneficiariis praesidium ita consecratae, ut eos inde colligas ibi quodammodo sedem habuisse. Scilicet praesidia militaria ibi fuerunt posita sub beneficiario consularis, qui cum ad aliud munus avocaretur, stationis feliciter expletae gratias numini referret. Beneficarii autem si non omnes, certe longe plerique eorum extra praetorium agebant rebus agendis ita praefecti, ut id per se peragerent a castrensibus officiis eius rei causa liberati. Quocum recte convenit, quod Bithyniae praeses Plinius tam procuratori eiusdem provinciae quam praefecto orae Ponticae denos beneficiarios adsignat¹⁾.

Principalium vocabulum²⁾ in titulis rarum similiter usurpatur in notissimo urbano vol. VI n. 221 anni 113. Eum dedicarunt *principales* centuriae cuiusdam vigilum numero duodecim, scilicet *beneficiarius subpraefecti, vexillarius in centuria, optio in centuria, tesserarius in centuria, beneficiarius tribuni, librarius ur(bicorum?) subpraefecti, librarius cohortis, secutor tribuni, bucinator in centuria* aliique duo, de quibus non satis constat; cui ordini quinque principalium praesidii Moesiaci satis respondet, quatenus conveniunt. Discordant autem duo tituli eo, quod antiquior beneficiarium subpraefecti principalium primum facit, recentior beneficiarium consularis a principalibus eximit iisque praeposit. Illud sine dubio antiquam et legitimam ordinationem recte reddit; hoc inde explicandum est, quod primus inter pares facile par esse desinit.

Tesserarios composuit Cauer l. c. p. 452 seq. et singulos in singulis centuriis esse ostendit. Praesidium hoc ad centuriae numerum prope accedens eo officio non caruisse consentaneum est.

Tubicines et cornicines idem exhibuit p. 374 seq. Utriusque ordinis quot in legione fuerint, parum constat, nisi quod in titulo Lambaesisano VIII, 2557 enumerantur *cornicines* legionis Africanae numero sex et triginta. In ordine officiorum tubicines cornicinibus honoratiores fuisse aliunde quoque intellegitur.

Medicos legionis³⁾ vere militiam meruisse et ex laterculo apparet et antea iam satis constabat; id ipsum enim significant qui se dicunt *medicos ordinarios* legionis, scilicet merere se in numeris⁴⁾. Droyseni, qui reliquis diligentius de iis egit, dubitatio, principalibus utrum medici recte adnumerentur necne, iam tollitur invento titulo Moesiaco.

¹⁾ Plinius ad Traian. 21. 27.

²⁾ Quid significet, iustius quam rerum perturbator sollempnis Vegetius 2, 7. 15. 19 indicat Macer (Dig. 49, 16, 13, 4): *inreverens miles non tantum a tribuno vel centurione, sed etiam a principali coercendus est.*

³⁾ Cf. Marquardt *Staatsverw.* 2, 536 quique ibi citantur, praesertim Ioh. Droysen in commentariolo inserto eph. *deutsche militärärztliche Zeitschrift* vol. I a. 1874, indicem exhibens medicorum militarium adhuc notorum.

⁴⁾ Vide quae exposui supra p. 259 not. 1. Droysenus in commentario citato negat sibi compertum esse, quid intersit inter medicum et medicum ordinarium.

Immunes habes supra recensitos p. 409 seq. Quod adicitur vocabulum explicat Tarrutenus Paternus in libro de re militari (Dig. 50, 6, 7) inter reliquos immunes recensens *venatores*. Eius loci militem adhuc tituli nullum dederunt, ut adeo primus hic sit qui ad immunis vocabulam immunitatis causam adscribat; sed cum legio pecuarios suos habeat, venatores quoque recte ei conveniunt, maxime praesidiariis constitutis in deviiis partibus et venationi sine dubio aptis.

Sequuntur gregales solito more dispositi secundum cohortes, electis, modo omnia recte et plene tradita sint, ex cohortibus I. II. III. IV hominibus a quinibus ad nonos, ex quinta hominibus XXXVII, ex quinque reliquis nullis. Ili numeri possunt sane casu ita processisse, cum in praesidiis constituendis aequabilis inter cohortes distributio minime requiratur. Videndum tamen, num praesidia ex legione ita constituta sint, ut alteram partem cohortes quinque priores darent, alteram posteriores, quoniam etiam in Notitia Dignitatum occidentis in legione distinguuntur *praefecti legionis, cohortium quinque, partis* (vel *pedaturae superioris* et *partis* (vel *pedaturae inferioris*¹).

Agmen claudunt equites legionis, nempe decurio et eques unus; plures enim in praesidio non fuerunt. Nec mirum id, cum praefecto cuidam manu militari indigenti dati esse reperiantur beneficiarii decem, equites duo²). Equites legionarii ut noti sunt, ita qui in laterculo nominatur *decurio* eorum, primus ni fallor eius loci est qui innotescat. Similiter *vexillarius* quoque *equitum legionis* adhuc stat uno titulo Africano vol. VIII n. 10629 addendo supra p. 356 compositis. — Quod equites recensentur extra cohortes, cum laterculi adhuc noti, maxime urbani, equites intra cohortes recenseant annotatione distinctos similiter atque principales, rationem habet; nam in hoc recensu etiam principales praemittuntur ex ordine exempti.

Nomina militum cum solita sint huius aetatis, non abs re videtur esse observare, quod recensentur Iulii X, Claudii II, Flavii IX, Cocceius I, Ulpii II, Aelli VIII, Aurelii XVII, praeterea Valerii XI, aliorum gentiliciorum XI. Medio igitur saeculo secundo nomina imperatoria et castrense antiquum Valerium reliqua in provinciis certe iam fere expulerant.

XXXII. PRINCIPALIVM RECENSVS SECUNDVM PRAEPOSITOS.

Commentarii Caueriani de principalibus (p. 355—481) diligentissime elaborati cum utilitatem eo impediri intellexissem, quod auctor non addidit recensum secundum praepositos digestum, supplementi loco indicem eum

¹) Locos composuit Seeck in indice editionis p. 332. Quod pro *cohortium quinque* perpetuo traditur *cohortis quintae*, natum crediderim ex compendiis male solutis.

²) Plinius ad Trai. 21: *ut contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno.*

subieci adiectis observationibus quibusdam, quae ad imperii militaris naturam et condicionem aetate imperatoria facere videbantur.

Principalium officia in universum in duo genera diduci poterunt, quorum alterum a militum corpore pendet, alterum a praeposito. Et illius quidem generis, ut in his fere, de quibus Cauer exposuit, nos confineamus, sunt *optiones, speculatores, tesserarii, custodes armorum, signiferi, vexillarii, aquiliferi, imaginiferi, aeneatores, bucinatores, tubicines, cornicines, fisci curatores, carcerarii, medici*¹⁾, *candidati*²⁾, quibus ut saepe adiungitur numerus, apud quem occupati esse inveniuntur (ut tesserariis adscribitur *in centuria vel centuriae*), ita praepositus sub quo militarint numquam enuntiat. Contra in altero genere, quo pertinent potissimum *cornicularii, commentarienses, codicillarii, librarii, actarii, exacti, exceptores, a quaestionibus, stratores, singulares, secutores, beneficiarii, immunes*, non semper, sed ibi fere,

1) Cf. p. 530 adn. 3.

2) Candidatos quoniam Cauer non admisit, cum apud Vegetium 2, 7 extremo loco inter principales recenseantur idque tituli confirmet, quae aetate eo officio ad manus habeo adscripti, quamquam praeter nomen vix quicquam de iis traditum accepimus. Scilicet et in laterculis militum legionariorum inter reliquos principales adsunt VIII n. 2569 candidati numero duo, VIII n. 2568 numero quinque, III n. 1190 numero sex, item VIII n. 2618 inter veteranos tres *ex candidato* (nisi quod in uno praeposito negligenter omisa est), et inveniuntur tituli quidam candidatorum legione adscripta II adiutrice III, 3308. 3398, III Augusta VIII, 2866 (cf. VIII, 2801). Praepositi nomen nusquam adsumunt, adsumunt fortasse nomen imperatoris; certe *candi(datus) d(omini) n(ostri)* vol. III n. 3503 ab iis de quibus agimus candidatis non videtur diversus esse. Plures numero in legione fuisse et ex laterculis illis intellegitur et inde quod apud Vegetium l. c. recensentur *candidati duplares et simplares*. — Diversi sunt *candidatus L. Annii Italici Honorati legati Moesiae inferioris* vol. III n. 6154 idem decurio alae; item *καυδιδάτοι* T. Aelii Naevii Antonii Severi consularis nescio cuius provinciae iidem alter frumentarius, alter centurio legionis, qui posuerunt titulum Graecum nuper Romae repperitum (Lanciani *Bull. della comm. arch. comunale* a. 1881); item *candidatus L. Fabii Cilonis praef. urbi cos. II* (a. p. C. 204) vol. VI n. 1410 idem a militibus, id est eques Romanus, non tam propterea quod praepositi nomen adsumunt quam propter gradum equestrem equestre proximum et supra principales. — Item diversi sunt, ut pervidit Valesius ad Ammianum 15, 5, 16, candidati saeculi quarti et deinceps, scilicet ipsi ii qui in Notitia Dignitatum Orientis c. 11 n. 6. 10 recensentur tamquam scholae duae gentilium seniorum et iuniorum; id enim efficitur praesertim ex Cod. Iust. 12, 33, 5 et Chronico Paschali ad a. 243 et a. 251. Ex eo genere est *Antiochos candidatus premece[us]* tituli Christiani a. 450 (Rossi inscr. chr. I n. 748). — Haec tria genera candidatorum, licet re temporeque diversa, nihilo minus probabile est ab eadem causa nuncupatos esse, scilicet insignes fuisse vestimento quodam sibi proprio, id quod item cadit in candidatos sacerdotes Iovis Dolicheni titulorum urbanorum vol. VI n. 406. 409. Nam quamquam chronici Alexandrini auctor de origine candidatorum suae aetatis fabulosam narrationem proposuit, catenus ei fidem habere poterimus lectos esse candidatos propter speciem et proceritatem (*ὡς τελείους καὶ εὐσθενεῖς καὶ μεγάλης ὄντας θείας*). — Contra *centurio cohortis VII vigilum Rom(anorum) candidatus Ti. Caesaris* vol. VI n. 2993 sine dubio unus est ex centurionibus beneficio Tiberii factis (Sueton. Tib. 12) imperante Augusto, de quibus egi *Staatsrecht* 2², 1101.

ubi officium plene et diligenter determinatur, praepositus adscribitur. Causa ni fallor non in omnibus eadem fuit. Quaedam genera ex supra dictis ita coniuncta erant cum praepositi persona, ut plene enuntiarum non possent nisi eo vocabulo adsumpto; ut singulares (p. 401) et stratores (p. 406) raro inveniuntur nude ita positi, similiterque apud vigiles tam secutores (p. 404) quam codicillarii qui creduntur (p. 420) tribunorum vocabulum sollemniter adscribunt, etsi vix dubium est eius ordinis milites nullos in eo corpore fuisse nisi tribunis attributos. Alibi probabile est praepositum addi ad honoris gradum determinandum, id quod potissimum cadit in beneficiarios; eos enim cum constet minime circa praepositum versatos esse, e contrario certum est diversis praepositorum generibus attributos beneficiarios pro portione diversum locum obtinuisse¹⁾. Itaque in his dux ut saepe enuntiatum, ita etiam saepius praeteritur; neque enim ut enuntietur ita ad rem pertinet, ut in singulari et stratore.

Iam videamus, quibus ducibus qui principales attribuuntur et primum quidem in exercitibus provinciarum:

1. *Legatis Augusti provinciarum* tam consularibus quam praetoriis²⁾ itemque *procuratoribus* et *praefectis provinciarum rectoribus*, qui in imperio militari eodem loco fuerunt, additi sunt

cornicularius consularis p. 412 n. 1—6; legati pro pr. p. 412 n. 7—12.
commentariensis vel *a commentariis* consularis p. 424 n. 1—5; legati p. 424 n. 6. 8.

librarius consularis p. 426 n. 1—8.

actarius legati p. 430 n. 1.

notarius legati (provinciae?) p. 433 n. 10.

exceptor praesidis p. 432, 2.

exactus consularis p. 431 n. 1—5.

strator consularis p. 406 n. 1—18; legati p. 407 n. 19—21. 24. 25;
procuratoris praesidis p. 407 n. 28—30.

singularis consularis p. 401 n. 1—20.

a rufo praefecti (Aegypti?) vol. III n. 54.

beneficiarius legati consularis p. 381 n. 63; consularis p. 401 n. 1
62. 64—162; legati p. 385 n. 163—169. 172—188; procuratoris
praesidis p. 388 n. 216. 219. 234. 236. 237. 239; praesidis p. 398
n. 384. 388.

immunis consularis p. 409 n. 1—6; legati p. 410 n. 7. 8.

¹⁾ Quod dixi *Staatsrecht* 2, 254 beneficiarios beneficium accepisse videri ab eo praeposito, apud quem merere se profitentur, redarguit Plinius ad Trai. 22. 27, procuratori praefectoque beneficiarios testas adsignari a praeside. Beneficii vocabulum latiore significatione usurpatum maxime aetate meliore cf. *Staatsrecht* 2², 1070 et beneficiarii qui dicuntur non plane aequabili sermonis lege reguntur.

²⁾ Huc ut par est rettuli eos quoque titulos qui legatum legionis enuntiant simul provinciae praesidem.

2. *Legatis legionum* non simul praesidibus provinciarum:*cornicularius* p. 413 n. 13. 14.*commentariensis* p. 424 n. 7 (probabiliter).*librarius* p. 426 n. 9—11.*strator* p. 407 n. 23. 26.*beneficiarius* p. 386 n. 170. 171. 190. 196.

Longe rarius legatorum legionis beneficiarios reperiri quam legatorum provinciae inde potissimum explicandum est, quod eiusmodi additamenta honoris causa adscribuntur itaque ibi ubi minuant plerumque omittuntur. Hoc autem non casu factum est, quod singularem legati legionarii nullum habemus, cum praesertim singulares nude dicti pauci admodum inveniuntur. Immo cum singulares exercituum provincialium quodammodo praetorianorum locum teneant (v. quae adnotavi p. 404), causa in aperto est, cur summis ducibus reservarentur.

3. *Praefectis castrorum* sive *legionis* (cf. Wilmanns huius Eph. vol. I p. 100):*cornicularius* p. 414 n. 42—45.*a commentariis* p. 425 n. 14.*librarius* p. 426 n. 14.*beneficiarius* p. 393 n. 290—295.

Praefectus legionis a legato legionis ita differt, ut legatus provinciae a procuratore praeside; honor minor est, vis imperii eadem.

4. *Tribunis legionum* fortasse solis *laticlaviis* (vide quae adnotavi p. 394):*cornicularius* p. 415 n. 46—52.*commentariensis* p. 424 n. 6.*beneficiarius* p. 394 n. 302—326.5. *Tribunis et praefectis*¹⁾ *cohortium auxiliarium*²⁾:*beneficiarius* p. 394 n. 300. 301. p. 398 n. 381—383.6. *Procuratoribus Augusti provinciarum* non praesidibus:*cornicularius* p. 413 n. 18. 19. 21. 22.*beneficiarius* p. 388 n. 217. 218. 220—233. 235. 238. 240. 241.

Plinius quoque in epistula ad Traianum 27 procuratori solos decem beneficiarios datos esse significat, nec dubium est praeter hos et cornicularium nullos milites procuratoribus adsignari solitos esse.

Principales militiae urbanae inventi sunt attributi his:

1. *Praefectis praetorio*³⁾:*cornicularius* p. 413 n. 18—31.*a commentariis* p. 425 n. 9—11.*a quaestionibus* p. 421 n. 4.*strator* p. 407 n. 27.

¹⁾ Alarum praefecti adhuc desunt, casu puto.

²⁾ Cornicularii (v. p. 414 n. 45) his non recte tribui videntur, multo minus singulares (v. p. 403 n. 27).

³⁾ Exceptorem p. 432 n. 1 non recepi, cum non sit huius aetatis, sed componendus cum officialibus Codicis Theodosiani et Notitiae Dignitatum.

singularis p. 403 n. 23—25.

beneficiarius p. 390 n. 244—259.

2. *Praefecto urbi* (cf. *Staatsrecht* 2² p. 1020):

[*cornicularius?* p. 413 n. 32]

a quaestionibus p. 422 n. 5, 6.

3. *Praetori urbano* (cf. quae adnotavi p. 392):

beneficiarius p. 391 n. 260—265.

4. *Praefecto annonae*:

cornicularius p. 414 n. 41.

5. *Procuratori annonae Ostiis*:

cornicularius p. 413 n. 20.

beneficiarius p. 389 n. 242.

Praefecto procuratorique annonae principales attributos esse inde explicandum, quod mature officia annonaria militarem formam induerunt.

7. *Praefecto vigilum*:

cornicularius p. 414 n. 33—38.

a quaestionibus? p. 422 n. 7—10.

exceptor p. 432 n. 3, 4, 8.

beneficiarius p. 392 n. 266—284.

8. *Subpraefecto vigilum*:

cornicularius p. 414 n. 39—40.

librarius ur(bicorum?) p. 427 n. 15.

beneficiarius p. 393 n. 285—289.

9. *Tribunis cohortium praetoriarum*:

cornicularius p. 415 n. 53—59.

singularis p. 403 n. 28, 29.

secutor p. 404 n. 3, 4.

beneficiarius p. 397 n. 327—343.

Notabile est singulares, quos summis ducibus reservatos esse supra vidimus, defuisse tribunis legionis, adfuisse tribunis praetorianis.

10. *Tribunis cohortium urbanarum*:

cornicularius p. 415 n. 60—62.

singularis p. 403 n. 30, 31.

secutor p. 404 n. 3, 4.

beneficiarius p. 397 n. 344—346.

11. *Tribunis cohortium vigilum*:

cornicularius p. 416 n. 63—65.

codicillarius (?) p. 420 n. 1—26.

exceptor (?) p. 432 n. 5, 6.

secutor p. 405 n. 5—41.

beneficiarius p. 397 n. 347—368.

12. *Tribunis equitum singularium*:

beneficiarius p. 397 n. 371—374.

Haec puto non iniucunda fore iis qui in vim et potestatem imperii militaris actatis principum inquirunt; nam ut multa restant incerta et ambigua,

ita in administratione Romana explananda horum munerum consideratio iustum locum iam in futurum sibi vindicabit. In summa re hoc intellegitur principales adsignatos esse cuius militiam senatoriam equestremve ab imperatore adsecuto, demptis tamen fortasse tribunis legionum angusticlaviis, quippe quibus beneficiariis certe opus non esset¹⁾. Procuratio provinciarum cum praesidatu coniuncta cum et ipsa militia esset, reliquis quoque procuratoribus non praesidibus ideoque ab imperio militari per se alienis nihilominus principales attribuebantur eodem favore, quo praeterea per omnia utuntur utpote creati ad administrandam imperatoris rem privatam. Ceterum ut constat milites attributos esse procuratoribus iis qui provincias imperatorias administrabant, ita missis in senatorias provincias inermes num idem ius fuerit, dubium est.

Ut nulli fuerunt principales ab imperatore nuncupati (cf. p. 400 n. 423), ita qui infra equestrem militiam positi sunt centuriones ipsique principales non magis principales habent sibi adsignatos (nam optio centurionis et re et tempore diversus est) et si qui iis attribuuntur inferioris gradus milites, adiutores dicuntur vel discentes; nisi quod unum titulum habemus *librarii principis*, de quo dixi supra p. 232.

Proconsules, utpote qui honore utantur non ab imperatore sibi tributo, nec milites nec principales suos habere potuisse olim intellectum est, quamquam quae inde moventur difficultates nequaquam satis sublatae sunt et fortasse admittendum erit armatis, quos finium tutandorum causa civitates sibi constituebant, etiam praesides iure militari carentes uti potuisse. Hoc enim genus militiae, quod supra p. 519 tetigimus, sine dubio late patuit. De eo fortasse cogitavit Ulpianus (Dig. 1, 16, 4, 1), ubi: *nemo proconsulum, inquit, stratores suos habere potest, sed vice eorum milites ministerio in provinciis funguntur*. Sed nec haec obiter explanari possunt nec hic tractabimus de proconsulibus duobus, qui exceptionem faciunt, Sardiniae et Africae. Nam Sardinia quamquam a Nerone ad Commodum a proconsulibus administrabatur, nihilominus etiam eo tempore iustus exercitus in insula fuit; Africae autem proconsul ut ante Gaium imperio militari usus est iustae legioni auxiliisque eius non aliter imperans atque legati Syriae et Germaniarum legionibus suis imperabant, ita postea quoque testibus tam Tacito quam imperatore Hadriano in oratione Lambaesitana partem aliquam exercitus Africani secum habuit. 'Aequatum imperium' inter proconsulem legatumque Africae, cuius Tacitus meminit, cum tituli militares qui adhuc ex Africa innotuerunt non satis elucidarint, prodiit nuper ad Simitthu (hodie Schenau) oppidum provinciae proconsularis is qui sequitur, quem missum ab optimo curarum nostrarum adiutore Carolo Tissot quoniam syllogae nostrae inserere non potuimus volumine iam absoluto, hoc loco publice edimus dignum sane, qui non lateat:

¹⁾ Vide p. 394 adn. Hos quoque creatos esse ab imperatore extra dubium est (vol. III n. 335; cf. *Staatsrecht* 2, 254.).

L · FLAMINIUS · L · F · ARN
 MIL · LEG · III · AVG
 7 · IVLI LONGI DILECTO
 LECTVS · AB · M · SILANO · MIL
 ANNIS · XIX · IN · PRAESIDIO
 VT · ESSET · IN · SALTU · PHILOM
 SIANO · AB · HOSTEM · IN · PVGNA
 OCCISVS · VIXIT · PIE
 ANNIS · XL
 H · S · E

M. Silanus, de quo diximus in hac eph. vol. I p. 61, Africam pro consule rexit a. p. C. 33—38 ultimus eorum, quibus legio pareret. Eo igitur tempore proconsuli vel ius fuit dilectus in sua provincia instituendi (militem origine Karthaginensem fuisse etiam tribus ostendit), ut ius ei fuisse donorum militarium tribuendorum auctores scribunt¹⁾. Sed cum miles in praesidio saltus Philomusiani (quem Tissotus iudicat fuisse a Simitthu 4 chiliom. Thabracam versus) per annos undeviginti permanserit occisus deinde extremis annis Claudii primive Neronis, idem titulus confirmat quod aliunde noramus, vel post a. 38 proconsuli milites quosdam mansisse, de quibus disponderet.

XXXIII. TITVLVS VENETVS VINDICATVS.

Erroris confessio cum non differenda sit, prima quae mihi offertur utar occasione tituli vindicandi inter falsos voluminis quinti syllogae relati iniuria et fortasse etiam incuria nostra.

Sertorius Ursatus Patavinus in schedam a. 1674 scriptam titulum rettulit repertum, ut ait, paullo ante Venetiis adservatumque ibi in domo Nicolai Venieri ad S. Antonii, qui titulus deinde prodiit a. 1719 in eiusdem opere postumo *marmi eruditi* p. 276, repetitus inde apud Muratorium 670, 1 et ut dixi in vol. V syllogae nostrae n. 136^o, neque enim quisquam postea lapidem vidit. Falsum dixerunt Marinius Arv. p. 751. 787, Orellius, Henzenus, neque ego aliter indicavi, nisi quod propter originem recte testatam adscripsi in lapide titulum extitisse videri. At nuper Venetus Laurentius Seguso (*ingegnere*), dum fundamenta domus cuiusdam iacit, denuo repperit partem eiusdem lapidis maiorem inferiorem. Tabula est marmoris Graeci, alta m. 0.45, lata m. 0.32; elementa ita fere formata sunt ut cernuntur in titulis pictis Pompeianis. Ediderunt Seguso ipse in eph. *Gazzetta di Venezia* 26 Iul. 1880, item Cecchetti et Lucianus apud Fiorellum *Not. degli scavi* 1880 p. 243 et lapide expressam I. B. Rossius *Bull. di arch. cristiana* 1880 tab. IX commentario non adiecto, sed promisso. Mihi Otto Hirschfeld

¹⁾ Tacitus ann. 3, 21. Suetonius Tib. 32. *Staatsrecht* 2, 255.

optimus amicus ectypum misit sumptum a Ludovico Zdekauer. Inscriptio haec est addita parte deperdita ad exemplum Ursati scriptum:

Q · AEMILIVS · Q · F
 PAL · SECVNDVS *in*
 CASTRIS · DIVI · AVG · *Sub*
 P · SVLPICIO · QVIRINIO · LEg *aug.*
 5 CAESARIS · SYRIAE · HONORI
 BVS · DECORATVS · PRAEFECT
 COHORT · AVG · I · PRAEFECT
 COHORT · II · CLASSICAE · IDEM
 IVSSV · QVIRINI · CENSVM · EGI
 10 APAMENAE · CIVITATIS · MIL
 IVM · HOMIN · CIVIVM · CXVII
 IDEM · MISSV · QVIRINI · ADVERSVS
 ITVRAEOS · IN · LIBANO · MONTE ·
 CASTELLVM · EORVM · CEPI · ET · ANTE
 15 MILITIEM · PRAEFECT · FABRVM ·
 DELATVS · A · DVOBVS · COS · AD · AE
 RARIVM ET · IN · COLONIA ·
 QVAESTOR · AEDIL · II · DVVMVIR · II
 PONTIFEXS
 20 IBI · POSITI · SVNT · Q · AEMILIVS · Q · F · PAL
 SECVNDVS · F · ET · AEMILIA · CHIA · LIB
 H · M · A · M · P · L · I · V · S · H · N · S ·

2 in. hiatus adnotatur. — 2 lin. 3 lin. 4 lin. hiatus non adnotantur. — 4 SVLPITIO traditur. — QVIRINIO Urs. ms., QVIRINO idem ed. — 5 CAESARIS, 6. 7 PRAEFECT traduntur. — 9 fin. ECL Urs. ms., FEC idem ed. — 15 PRAEFECT Urs.

Ut qui lapidem ectypumve vidit, de sinceritate dubitare non potest et ne hoc quidem diffiteor quaedam legi in lapide supra falsarium nec satis nos qui eum reiecit rem ponderasse, nimis facile adquiescentes in iusta de Quirinii censu ecclesiaeque Apamena diffidentia, ita periti non magis negabunt in eo inesse, quae iure offendant, neque qui eum ab incerto auctore accipere recusarunt ita reprehendendos esse, ut non simul excusentur.

Titulum non origine Venetum esse, sed venisse eo, inter saburram opinor, ex Syria argumentum prodit. Eum olim prostitisse Beryti ut propter commercii rationes probabile est, ita eo ducunt cum quod aetate Augusta alia colonia nulla in Syria fuit tum usus linguae Latinae a reliqua Syria alienus. Ex honoribus quoque, quos Secundus in patria gessit, duoviratus et pontificatus in Berytensibus titulis aliis redeunt, quaestura et aedilitas, cuius notanda est iteratio perrara, eidem rei publicae aptae sunt. Tribus quod Palatina est, cum Berytenses in Fabia censeantur, non officit; nam tribum illam urbanam in libertinae stirpis hominibus saepissime ita reperiri, ut cum persona magis quam cum domo coniuncta sit, periti non ignorant, etsi fines eius consuetudinis nondum satis explorati sunt.

Lingua formulaeque quaedam habent rara, quaedam etiam mira. *Milities* novum, sed non magis molestum est, quam *amicities* et *notities* apud Lucretium, *avarities* titulorum supparis aetatis vol. I n. 1011. 1459. At vehementer offendit quod honores recensens is cuius monumentum est prima persona ita utitur, ut narratio implicetur, oratio non efficiatur; cuius formae sermonis alterum exemplum non habeo quod ponam, nec crediderim ita quemquam locuturum fuisse nisi peregrinum Latini sermonis usu parum imbutum. Ordo quoque, quo honores enumerantur, titulorum Latinorum Augustae aetatis severitati nequaquam respondet. At ut haec levia sunt, ita quae in fine legitur formula *h(oc) m(onumentum) amplius h(eredem) n(on) s(equetur)* aut caecutio ego aut caecutivit qui dictavit. Haec enim formula cum eam vim habeat, ut successio in monumentum a successione rei familiaris secernatur heredibusque substantiae procul habitis monumentum familiae nominive defuncti reservetur, id quod inseritur *amplius* non solum praeterea, ni fallor, sine exemplo est, sed etiam contra rationem adiectum, nam quod proprie significat heredibus in praeteritum ius in monumentum fuisse, iam vero eis adimi, ita ineptum est ut nihil supra. Quod si hoc voluit tituli scriptor monumentum, ex quo condita ibi sint corpora duo, iam ad rem eius qui fecit pertinere desinere et diversa lege posteris in id ius esse, sanam cogitationem enuntiando ita pervertit, ut dictum Trimalchionem sapiat vel ut mitius dicam peregrinum; nam aliena lingua loquentes Trimalchionismum vix effugiunt. Potest item qui scripsit abusus esse formula *eo amplius*, qua in testamentis capita coniungi solebant; certe recte scribi potuit et *eo amplius curatum volo, hoc monumentum heredem ne sequatur*. Utut de hac formula iudicabitur, res quae in titulo traduntur nulla inde labe afficiuntur.

A praefectura fabrum ut incipiamus, quam *ante militiam* habuisse se Secundus scribit, id quod addit praefectum se *a duobus consulibus ad aerarium delatum esse* ita alibi redit, ut hoc solo titulo plena et sollemnis officii determinatio reperiat in reliquis breviloquentia commoda magis quam iusta obscurata. Nam cum ex auctoribus notum sit praefectum fabrum ita fieri, ut destinatum consul praetorve eo nomine ad aerarium deferat¹⁾, tituli adhuc noti ita id efferunt, ut sit *praefectus fabrum a co(n)s(ule) adlectus* vel *praef. fabr. donatus a co(n)s(ule)* vel, idque, saepius, *praef. fabr. co(n)s(ulis)*²⁾. A duobus consulibus quod Secundus sic delatus est, non significat delationem communi consilio collegarum fieri oportuisse, sed honorem auget duplici delatione. — Militiae quod praefectura fabrum opponitur, confirmat quod aliunde

¹⁾ Locos collectos reperies *Staatsrecht* 1, 288 n. 3. 2, 93 n. 2. Hoc non recte poni praefectum delatum esse non a consule, sed a consulari. Immo consuetudo redit ad id tempus, quo magistratus ex consulatu praeturae in provincias proficiebantur et ante quam exhibant quos comites elegissent ad aerarium deferebant, videturque consulibus praetoribusque ius tum quoque non mutatum mansisse, cum provincias post intervallum demum administrabant.

²⁾ Titulos composui in Hermae vol. 1 p. 60.

notum est hac certe aetate id officium a re militari eatenus alienum fuisse, ut vel Asiae proconsul militari imperio carens praefectum fabrum sibi nominet¹⁾ inveniaturque adeo praefectus *iure dicundo et iudicibus sortiendis*²⁾. Nihilominus dubium est, num legitimo sermone praefectura fabrum a militia secludi debeat; certe inter tres quattuorve militias equestres, quae ad officia quaedam capienda requirebantur, praefecturam fabrum connumeratam esse probabilitate non caret.

Deinde Secundus *in castris divi Augusti honoribus decoratus* est. Id aut significat dona militaria eum equestri militiae convenientia iussu imperatoris a legato accepisse, aut, quod magis crediderim, sequentibus viam parat, ut honores sint ipsae militiae equestres. Comparari potest quod legitur in titulo Corfiniensi³⁾ reliquisse quem filium *usum castresibus Caesaris August(i) summis equestris ordinis honoribus et iam superiori destinatum ordini*.

Praefecturas Secundus cepit cohortium duarum Augustae primae et secundae classicae. Illud nomen si recte traditum est, et contra verborum ordinem sollemnem peccat et primario nomine male omisso: nam cum cohortes fuerint Bracarum⁴⁾, Ituraeorum, Lusitanorum, Nerviorum, Thracum⁵⁾ omnes appellatae primae Augustae, quomodo haec appellatio nude recte intellegi poterit, non perspicitur⁶⁾. — Contra cohors II classica alibi quoque nominatur⁷⁾, nec quicquam obstat, quominus imperante Augusto in Syria constiterit.

Equestribus illis militiis Secundus meruit sub P. Sulpicio Quirinio legato Augusti⁸⁾ Caesaris Syriacae. Eum eo honore functum esse constat a. u. c. 759 et deinceps, probabile est antea iam idem munus eum sustinuisse et quidem per a. 751. 752. Sed cum titulus Berytensis nihil conferat ad quaestionem tantopere agitatam de tempore et iteratione legationis Quirinianae, ad eam alibi diligenter a nobis tractatam⁹⁾ hic non redimus.

Duas res gessisse se ait Secundus iussu missive Quirinii, censum et bellum. Huic ut eum interfuisse praefectum cohortis alterius utrius dubitari non potest, ita altero quoque officio eum functum esse eodem loco constitutum ratio suadet. Nam census imperatoria aetate secundum provincias ordinatus cum aut ipsi praesidi committeretur aut legato misso ad census accipiendos, ille certe rem ita perficiebat, ut negotium inter comites divi-

¹⁾ C. III, 398; Henzen 6470. *Staatsrecht* 1, 118.

²⁾ Henzen 6470. *Staatsrecht* 2, 224.

³⁾ Vol. IX n. 3158 melius quam I. N. 5369. Pro EQVES|TRIS traditur FOV|||TRIS.

⁴⁾ Vol. VIII n. 9358.

⁵⁾ Vol. III p. 1151.

⁶⁾ *Ala Augusta* nude passim invenitur in titulis Britannicis.

⁷⁾ Orell. 3620 — vol. IX n. 4855 a. Titulus non ab omni suspicione immunis est, sed probabiliter genuinus.

⁸⁾ Ita supplevi, ut est in titulis Orell. 642 et Henzen. 6450 et I. R. N. 5369 (ubi alternant *Augustus Caesar* et *Caesar Augustus*), cum nomen Caesaris nudum hoc loco vix ferri possit.

⁹⁾ Mon. Ancyran. p. 115. 121 seq.

deret singulisque singulas partes provinciae attribueret, quae sub eo cense-
retur. Ita Tacitus¹⁾ narrat Germanicum census Galliarum accipientem ad
eos misisse P. Vitellium et C. Antium ex comitibus suis; similiterque iudi-
candum est de iis, quos tituli suppeditant, equestris fere loci viris, qui
census accepisse dicuntur partis cuiusdam provinciae, sive acceperunt sub
legato eius militia aliqua equestri fungentes²⁾ sive in comitatu legati alio
nomine versantes³⁾. Secundum probabile est illo loco Quirinii iussu cen-
sum egisse. Census intellegitur omnino notissimus ille cuius mentionem
Iosephus facit l. 18 i. n. : Κυρήνιος . . . ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καίσαρος
δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος καὶ τιμητῆς τῶν οὐσιῶν γεννησόμενος, item
c. 2, 1: τῶν ἀποτιμᾶσθαι πέρας ἐρχομένων, αἱ ἐγένοντο τριακοστίῳ καὶ ἐβδόμῳ ἔτει
μετὰ Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἦταν ὑπὸ Καίσαρος, id est a. u. c. 759. 760. Eum
censum non ad πᾶσαν τὴν οἰκουμένην pervenisse, ut evangelista Lucas 2, 1
errore opinatus est, sed ad Syriam provinciam solam, hodie opinor extra
controversiam positum est, confirmaturque denuo titulo eo de quo agimus.
Apamea enim intellegitur ad Orontem Syriae civitas primaria. In ea urbe
eiusque territorio (ita enim omnino censio accipienda est) numerata esse ho-
minum (itaque non virorum tantum, sed mulierum quoque et puerorum
puellarumque) civium (scilicet Apamenorum), non comprehensis igitur servis,
milia CXVII ex inscriptione discimus hoc nomine unica; certe praeter census
civium Romanorum numeros vix habemus eius generis alios certos et in-
dubitatos. Ceterum cum nec de numero civium intramuranorum ex ruderi-
bus quae supersunt coniectura fieri possit⁴⁾ nec satis constet de territorii
finibus, huius census resuscitatio quae adhuc obscura fuerunt vix illustrat.

¹⁾ ann. 2, 6.

²⁾ Cadit id in tribunalum militum legionis III Augustae, cui statuum ponunt *civi-
tates XXXIII ex prov. Africa, quae sub eo censae sunt* (vol. III n. 388), et in tribunalum
legionis VII geminae, qui item missus est *at census accipiendos civitatum XXIII . . .
Vasconum et Vardulorum* (vol. VI n. 1463), et in praefectum cohortis II Asturum, quae
castra habuit Aesicae in Britannia (vol. VII p. 132), *censitorem civium Romanorum co-
loniae .. Camaloduni* (Orell. 208). Cf. *Staatsrecht* 2, 411.

³⁾ Eo pertinent *ensor civitatis Remorum foederatae* (Herzog Gall. Narb. n. 510. 511)
item tribunus militum legionis II adiutricis, et qui *censum egit in provincia Gallia Aquit-
tanica* (vol. II n. 4188) item tribunus militum legionis V Alaudarum. Hi si simul utrum-
que officium sustinuerint, iussu legati sui imperatorisve in aliam provinciam deputati
sunt. At id ut statuamus cum nihil cogat, magis probabile est eos civitatibus censendis
operam dedisse sine militia certa inter comites praesidis versantes.

⁴⁾ Apameae rudera qui nuper adiit Eduardus Sachau collega meus in universitate
Berolinensi quamquam ambitum ruderum satis definiiri posse negavit, multo minus inde
de civium numero coniecturam fieri posse, nihilominus quae de ruderibus mecum
communicavit lectoris haec non invidebo. *Der Stadtplan bildet ein durch Mauer und Graben
scharf markirtes Oblongum mit der Längenrichtung von Nord nach Süd. Die Breite be-
trägt im Süden und in der Mitte gegen $\frac{2}{3}$ der Länge, im Norden beträchtlich weniger als
die Hälfte. Im Durchschnitt kann man die Breite gleich der Hälfte der Länge setzen.
Thomson, der Wiederentdecker von Apamea, schätzt die Längelinie, dargestellt durch die
Centralstrasse vom Nord- zum Südthor, auf 1 engl. Meile (= $\frac{1}{2}$ deutsche Meile oder etwa*

Ituraei in Libano monte ii sunt, de quibus Strabo 16, 2, 18 p. 755 sic scribit: τὰ μὲν οὖν ὄρεϊνα (ad Chalcidem ad Libanum) ἔχουσι πάντα Ἰτουραῖοι τε καὶ Ἀραβες κατοῦργοι πάντες, οἱ δὲ ἐν ταῖς πεδίοις γεωργοὶ κατοῦμενοι δ' ὑπ' ἐκείνων ἄλλοτε ἄλλης βοήθειας δέονται. Deinde castella eorum recenset ex parte a Pompeio expugnata, unde Byblum adeo et Berytum infestassent. Tale auxilium, quale memorat Strabo, Quirinius quoque provinciae incolis pacatis praestitit nec sine causa virum Berytensem contra vicinos grassatores misit. Apud rerum scriptores eius expeditionis mentionem non fieri consentaneum est.

21 Minuten). Dies stimmt vollkommen mit meinen Notizen: man braucht etwas über 20 Minuten, um die Ostmauer, die jener Centralstrasse parallel läuft, abzureiten; etwa 10 Min. für die Breite. Die Westmauer macht in ihrer Mitte eine halbkreisförmige Einbuchtung nach Ost, innerhalb deren sich eine isolirte Anhöhe erhebt; auf der breiten Spitze derselben die Akropolis, jetzt ein Araberdorf von 100 Häusern, wo für wenigstens 4—500 Häuser Platz genug wäre. Während die Mauer im Westen gegen die Niederung des Orontes steil abfällt, ist sie im Norden, Osten und Süden wenig höher als die angrenzende Ebene. Auf diesen Seiten dürften Vororte sich an die Festung angelehnt haben, wie ich denn auch antike Bauten vor dem Nordthor und im Süden an dem Wege nach Skelebije — Larissa bemerkt habe.

SVPPLEMENTVM

ad p. 3 n. 10.

Cura F. Haverfield Oxoniensis accepi insignis monumenti exemplum diligenter exceptum et secundis quoque curis recognitum, praeterea ectypum anticae charta impressum egregie, lateris sinistri integri, dextri vv. 1—13 ectypa plumbo facta minus luculenta, sed item utilia. His adiumentis usus cum supra p. 206 patrias militum a Walshio omissas indicaverim, iam ipsam inscriptionem propono, anticae v. 8, qui hodie deficit, adsumpto ex exemplo Walshiano.

in antica:

I M P · C A E S A R I
L · SEPTIMIO SEVERO PERTINACI
AVG · PONTIF · MAX · TRIB · POT · II ·
IMP · III · COS · II · PROCOS · P · P · p. C. 194.
5 VETERANI LEG · II · TR · FORT · MISSI
HONESTA MISSIONE QVI MIETARE
COEPERVNT APRONIANO ET PAVLO p. C. 168.
cos. qVbVS ET PERPETVAM

in latere intuenti sinistro:

I	1	7 MARI FVSCIANI
		TIVS C · F · PVP TERTVLLINVS PARAETONIO
		VIVS T · F · COL MAXIMV S CAESAREA
		VS L · F · POL APPIANV S CASTR
	5	COH II
		7 FAVSTINIANA
		ONIVS L · F · COL · VALERIANVS ANTIOCH · TVB ·
		LIVS T · F · POL · ALEXANDER CASTR ·
		NIVS M · F · COL · RVFVS NICOMED
	10	S P · F · POL ISIDORVS THEBES
		AEMILI AMMONI
		C · F · COL PRISCILLIANVS CAESAR · SIG ·
		AVRELI · ANTIGONI
		IVS M · F · POL CAPITOLINVS B PR CAS
	15	IVS M · F · POL SARAPAMMON TANI
		PATERNIANA
		S L · F · POL DIONYSIVS CAS
		//DIANA
		S C · F · POL DIOSCORVS CAS
	20	ONI LVCIANI
		L · F · POL ISCHYRION CAS
		coH III
		STI MACRONIS
		AMMONIVS ALEX · SIG ·
	25	ATALIS
		/ F POL DIONYSIVS CAS
		/OL SERENV S CASTR · TESSER ·
		/A
		POL BASSVS · SAMOSATA · OPTIO
	30	L MARCVS KASTRIS
		ANTONINVS CASTR

in latere intuenti dextro:

II

- 1 IIIIANA
NLIVS / F PAPIR IVLIANVS HAD
COH · V
7 CELERIANA
- 5 M · GABINIVS · M FIL · AMMONIANVS CASTR
7 FL · PHILIPPANI
T · AVRELIVS · T FIL · POL · CHAEREMONIANVS CAS
C · VALERIVS · C · FIL · COL · APOLLINARIS · HIERAPOL
7 SEVERIANA
- 10 M · AVRELIVS · POL · ISIDORVS ALEXANDR
C · POMPEIVS · C · F · POL · SERENVS · KASTRIS
7 SERVILI PVIDENTIS
P · AVRELIVS · POL · PROCLION · ALEXANDR
C · IVLIVS · C · F · POL · GEMELLIVS CASTRIS
- 15 P · AELIVS · P · F · POL · HERMIAS CASTRIS
T · AVRELIVS · T · F · POL SARAPAMMON CASTR
T · FLAVIVS · T · F · POL · APOLLINARIS CASTR
M · FVRFANIVS · M · F · COL LONGVS PARAETON
7 MARINIANA
- 20 M · AVRELIVS · M · F · POL HERODES CASTRIS
COH VI
7 OCTAVI AVELLIANI
M · AVRELIVS POL FOCION ALE
M · AVRELIVS POL SARAPAMMON
- 25 M · AVRELIVS POL GERMANVS
7 AVRELI FLAVIANI
- 4ic L · HAPION · L · F · POL DEMETRIVS
7 SECVNDIANA
M · AVRELIVS POL APOLLOS CASTRIS
- 30 L · AVRELIVS L · F · POL CHAEREMONIAN CAS
COH VII
7 AELI LIBERALIS
C · VLPIVS C · FIL COL SOLON PHILADEL//
7 BAEBI MARCELLINI
- 35 / CORNELIVS · C · FIL POL FIRMVS CASTR
M · IVLIVS M · FIL COL CARPOPHORVS
/ RAVILIVS L · FIL ARN CELER CARTHA//
/ IVLIVS C · F · POL ISIDORVS CASTRIS
7 CLEMENTIANA
- 40 / AVRELIVS M · F · POL MA//
C · IVLIVS · C · F · COL · SERENVS
MA // // IVS M F COL

In anticae v. 8 traditur OVIRVS. — I, 26 quamquam Haverfieldio magis visum est LOL esse quam POL vel COL prima littera corrupta, nihilominus illud posui. — II, 2 aut IVLIANVS aut LVCIANVS.

Deficiunt cohortis primae prima nomina perscripta sine dubio in antica ima, item quae inter latera duo intercepta sunt extrema cohortis III et prima IV, denique in fine extrema cohortis VII et omnia trium postremarum. Super sunt milites XLVI, quorum XLI (computatis nominibus X hodie semiplenis) tribus patriasque adscriptas habent habueruntve, in duobus (I, 24. II, 5) tribus deficit, patria in tribus (II, 24. 25. 27). Pater omissus est sexies (II, 10. 13. 23. 24. 25. 29); ubi adscriptus est, quatenus praenomen utrumque superest, paternum et filii idem est.

Numerum veteranorum legionis II Traianae missorum a. 194 consentaneum est aliquanto minorem esse quam repertum in simili laterculo Troesmensi C. I. L. III, 6178 anni c. 134; nam Hadriani aetate missio ad biennium porrigebatur, Severi annua facta erat. Praeterea bellis gestis per a. 168 ad a. 194 et lue eorundem annorum huius quoque legionis milites aliquot absumptos esse verisimile est.

De patriis quae supra p. 206 dicta sunt, non est quod repetam. Ordinationem rei militaris laterculus egregie illustraret, si integrum eum habereamus; nam de numero centuriarum primae cohortis sine dubio inde aliquid didicissemus. At ea tota fere periit quaeque integrae supersunt secunda cum centuriis sex, quinta cum quinque, sexta cum tribus, iis non proficimus. Principales, quorum officium praeter consuetudinem nomen non antecedit, sed sequitur, inveniuntur sex, *beneficiarius praefecti* I, 14; *optio* I, 29; *signiferi* duo I, 12. 24; *tesserarius* I, 27; *tubicen* I, 7, noti omnes et vulgares.

TH. M.